

de immoderatè obesità in primis exponitur, & ratio ejusdem traditur. Quòd sententia illa etiam accipienda sit de crassis, quì tales ob gulam vel ingluviem aut voracitatem fiant, unde sanguis & spiritus crassi atque impuri orientur, & quòd ideò istiusmodi hominibus apud Lacedæmones vituperia & pœnæ destinatae fuerint, innotescit ex *l. a. p. 21.* Plura loca, quæ adagio illi suffragantur colligi poterunt ex *Jani Huarti Scrutinio ingeniorum ab Æschac: Majore in Latinam translato p. 147. Sc. Martini Zeileri Centur. 5. Epist. 60. Laur: Gieseleri de peste Brunsvicensi obs: 97. & Petri Laurembergii Pasicompsæ cap. 6. p. 49. & 53.* Attributum illud obesitatis invisum declinare voluit obesus existens *Bartolus de Saxo Ferrato* inter Ictos celebres non ultimus, hic quippe *Ulpianum in L. 1. de Jurisdictione* commendat, quòd rectius dixerit *jus dicendi latissimum, quàm longissimum*, longos enim homines rarò sapientes esse dixit. Verùm procerum corpus vel staturam magni alioquin ab aliis æstimari, illique singularem auctoritatem, majestatem atque dotes excellentes tribui, non pauca autorum scripta loquuntur. Quod verò concernit impedimenta vel mala, quæ animo oriuntur à mole corporis, licet non semper eadem adesse in obesitate observetur; veluti industrii lingvarum periti ac probi, admodum tamen obesi, mentionem facit *Platerus in observat. l. 3. p. 548.* Facile tamen hariolari possumus, quòd canes venatici agiles ad venationem aptiores sint tauris saginatis & tardè gradientibus. Atque hæc, quæ hætenus adducta fuerunt, circa definitionem monenda esse duximus; de aliis, uti & de ultimis in definitione contentis verbis, quòd nempe mors facilius immineat obesità quàm macilentis, fusius in subsequentiis agetur.

CAPUT III.

Exempla de visceribus quibusdam vastis, & pinguedine circa certas partes, vel in toto habitu corporis cumulata.

Attin-